



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiæ Augustæ Scriptores VI

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius
Lampridius. Flavius Vopiscus

Spartianus, Aelius

Lugduni Batavorum, 1671

De Macriano Juniore, XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51232)

DE MACRIANO JUNIORE, XII.

13 **M**ulta de hoc in patris imperio prælibata sunt, qui nunquam imperator factus esset nisi prudentiæ patris ejus creditum videretur. De hoc plane multa miranda dicuntur ' quæ ' ad fortitudinem pertineant juvenilis ætatis. ' Sed ad facta aut quantum in bellis minus valet fortitudo. Hic enim vehemens cum prudentissimo patre, cujus merito imperare cœperat, à Domitiano victus, triginta (ut superius dixi) millibus militum spoliatus est: ' matre nobili, patre tantum forti & ad bellum parato, atque ab ultima militia ' in summum perveniente ducatum, & splendore sublimi.

' DE QUIETO, XIII.

14 **H**ic, ut diximus, Macriani filius fuit; cum patre & fratre, Balistæ judicio, imperator est factus. Sed ubi

SALMASIUS.

1 Quæ ad fortitudinem pertineant juvenilis ætatis.] Liber Palat. juvenilis ætatis. ita frequenter scriptum reperitur in libris. Ovidius qui in membranis est, nunquam aliter scriptum exhibet: juvenilibus acta lacertis. juvenale femur: juvenalis ætas: juvenale corpus: juvenalia brachia. sic vernilis & vernalis dicebant, & similia.

3 Sed ad facta aut quantum in bellis minus valet fortitudo.] Quomodo hæc intellexerint eruditi, nescio. ego, quæ mea est tarditas, non intelligere fateor. eoque semper confugio, ut corruptum putem, quod minus assequi possam. qui magis ingenio valebunt, hæc fortasse percipient, ut scripta sunt vulgo: nos non sumus tam perspicaces. Palatinus pro *minus*, habet, *unius*. scribe meo periculo: sed ad facta, aut in bellis, quantum unius valet fortitudo? cum nota interrogationis. fortissimum fuisse juvenem Macrianum, &

de ejus fortitudine multa miranda esse dicta, haud minus tamen victum fuisse. non enim multum posse aut valere unius viri fortis virtutem in bello, nec tanti esse momenti, ut in eo solo victoriæ spes tota sit sita.

4 Matre nobili.] Matre nobili. ita Pal.

5 In summum perveniente ducatum, & splendore sublimi.] Delenda & particula, & scribendum: patre tantum forti & ad bellum parato, atque ab ultima militia in summum perveniente ducatum splendore sublimi.

GRUTERUS.

2 Ad fortitudinem pertineant juvenilis ætatis.] Vulgg. juvenilis, quod eodem redit. sed cedere debebat Palatinæ scripturæ, vel antiquitatis causâ.

CASAUBONUS.

6 DE QUIETO.] Zonaras Quintum nominat. Κῆντρ. in nummis QUIETVS.